



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **FRANCISTAUNENSIS**\* IN BOTSUANA NOVUS  
CONDITUR VICARIATUS

**APOSTOLICUS FRANCISTAUNENSIS** Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Botsuana, ubi in praesens dioecesis Gaboronensis tantum exstat, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis habitoque faventi voto eorum quorum interest, censuerunt ibidem novum Vicariatum Apostolicum esse condendum. Nos igitur, qui gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A dioecesi Gaboronensi separamus territorium districtuum civilium nuncupatorum Central, Chobe, Gantsi, Ngamiland et North-East atque eo constituimus Vicariatum Apostolicum *Francistaunensem*, quem sollicitis curis Societatis Verbi Divini concredimus. Haec insuper omnia perficienda committimus Venerabili Fratri Emmanuelli Monteiro de Castro, Archiepiscopo titulo Beneventensi atque in memorata Natione Delegato Apostolico, onere imposito authenticum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem, quam diximus, remittendi. Hanc denique Nostram Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOSEPHUS card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Tharsicius Nardi, *Protonot. Apost.*

---

*s.n.*

\*A.A.S., vol. XC (1998), n. 11, pp. 830-831 © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana